

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0594

0592

0598

0588

0603

0583

0643

0543

0693

0493

1093

0093

Ende

Anfang

21

primam domum Zachariae, inferiorem, et cum ad eam venissemus, firmiter clausam reperimus, ad quam lapidibus et fustibus et baculis pulsavimus, sed nemo respondit nobis. Circuibant autem juvenes Sarraceni domum, quaerentes locum, per quem muro ascenso intrarent, et nobis aperirent. Erat autem in ea Sarracenus quidam, homo bestia, qui dissimulavit nos se audire, sed cum videret juvenes Sarracenorum, qui currebant nobiscum, ut alium quaerere locum intrandi, descendit ad ostium et eo patefacto stabat cum fuste in ostio, et uxor ejus cum titione, et observabant, ne quis intraret, quousque sibi aliqua pecunia daretur; quae cum sibi data fuisset, remisit furorem, et ingressum indulsit. Statim autem ut ingredi incepimus, inchoavit cantor alta voce canticum beatissimae Virginis Mariae: Magnificat anima mea etc. Et cum illo cantu ad locum venimus, in quo Maria Virgo Elisabeth salutavit, Johannes in utero exultavit, Elisabeth resalutavit et prophetavit, Maria carmen dulcissimum decantavit maximo mysterio repletum, cujus quodlibet verbum aliquo magno sensu est impraegnatum. In illo ergo loco in orationem procidimus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Singularem namque laetitiam in hoc loco habuimus cum beatissima Virgine Maria, quae hoc ineffabile gaudium, quod per angeli salutationem in secreto cordis sui reclusum et absconditum gerebat, hic in publicum amicabilem salutationem et dulci cantico promebat. Sed et pueri ambo in maternis uteris ad matrum conventionem resultabant et gaudebant, sicut et ambae matres insolita laetitia affectae erant. In beatissima Virgine Maria omne gaudium, quod in angelica salutatione receperat, hic renovatum fuit, et quodammodo completum. Et si fas est dicere, majus gaudium hic videtur habuisse. Angelus enim in Nazareth ipsam salutans dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Sed Elisabeth voce magna clamavit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Notum (**B**) est autem, quod beatissima Virgo Maria plus dilexit incomparabiliter fructum ventris sui, quam se ipsam; et ad ejus honorem plus gaudebat, quam ad proprium. Angelus autem solum benedictam dixit, sed Elisabeth eam benedictam proclamat et fructum ventris sui, et in hoc gaudium